



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Ad quid Deus praecepit nobis facere opera bona.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



Christus inquit Matth. 7. Omnis arbor mala, fructus malos facit: Quia ergo nos in peccatis concipimur & nascimur, Psalmo 50. sequitur quòd opus nostrum à nostra natura profectum, nō potest dici bonum: oportet igitur vt ab alio dicatur bonum, quàm à nobis. Fit autem homo arbor bona, primò fide in Christum Iesum, quæ Fides impetrat gratiam & fauorem Dei, & facit vt tunc opus placeat DEO Nam sine fide Christi impossibile est, aliquod opus Deo placere, Hebr. 11. Rectificatur igitur homo & mutatur fide Christi, quæ facit, vt opera illius, licet adhuc carne fragili fiant, attamen reputantur bona & iusta propter Christum: & sic ex gratia est, & ex Diuina imputatione, quòd opus sit bonum & acceptum, non naturali sua dignitate & conditione. Et sic dicebat Propheta Iob 9. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Et Psalmo 142. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Imputatione ergo diuina, ex gratia opus nostrum dicitur bonum, Ephes. 2. Eramus natura filij ire, sed misericordia & gratia saluati estis per fidem, conditi ad bona opera, quæ ordinat Deus vt in illis ambulemus.

Deus exigit à nobis interiora & exteriora opera & virtutes. Interiora sunt, fides, dilectio, timor Dei: hæc sunt meliora & potissima opera, & notantur in prima tabula Moyfis. Primò fides, vt toto corde illi fidamus: nam verax & fidelis est, & seruat certò omnia quæ dixit & promisit: deindè, vt cum toto corde diligamus. Nam omne bonum venit ab ipso, & tamen nos non meruimus, sed ipse donat gratuitè ex misericordia & gratia. Postremò, vt illum timeamus, nam punit malos. Hæc omnia patent Exod. 20. Ego Deus zelotes, visitans, &c. Hæc sunt opera Spiritualia interiora & potissima, sine quibus



parùm profunt exteriora: & illa ubique exigit Scriptura. Matth. 6. Primum quærite regnum Dei. Roman. 14. Regnum Dei non est potus & cibus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Sic etiã sunt opera potiora motus cordis, patientia, misericordia, gratiarum actio, &c. Et illa omnia cum primis exigit à nobis Deus, quare arguuntur Pharisæi, Matthæi 23. qui mentham, anethum & cuminum decimant, & maiora legis relinquunt, iudicium erga seipfos, fidem erga Deum, misericordiam erga proximum. Alia sunt opera exteriora, quæ quoque Deus exigit, & sunt fructus interiorum virtutum, vt sunt præcepta secundæ Tabulæ. Et ad illa rediguntur orare, ieiunare, psallere, vigilare, prædicare, &c. Sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 9. Castigabo corpus meum. Sic tres pueri abstinebant se à cibo Regio. Danielis primo. Et filij obedientes Rechab, Ieremiæ 35. Sed hæc exteriora sunt serui, interiora verò quasi Domini & præcipui: præferuntur præcepta Domini traditionibus humanis. Sed præcipit & exigit Deus hæc opera primò ad laudem & gratiarum actionem sibi pro acceptis beneficijs, sicuti ait Apostolus Philip. 1. Repleti fructu iustitiæ ad laudem Dei. Deindè in exemplum & vtilitatem proximi. Matthæi 5. Sic luceat lux vestra coràm hominibus. Et 1. Pet. 2. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, & Matthæi. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Postremò ad domandam carnem, vt superbia per humilitatem, gula per ieiunium, tentatio per orationem. Colofs. 4. Mortificate membra vestra. Et 1. Cor. 9. Castigo corpus meum. Sic per bona opera retinemus acceptam iustitiam. Rom. 8. Si secundùm carnem vixeritis, &c. Sine igitur bonis operibus non retinetur gratia accepta. Idèd inquit Christus Ioã. 5. Eccè sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Hoc